

ex foedere Venetiis inito tenebatur, cumulate præstitisset, bello jam confecto, Petro Pefareo D. Marci Procuratori Legato in patriam reditum concessit; Joanni Mauro, qui Prætor Cremæ designatus, in Brixienfibus Legatus declaratus fuerat, ut peditibus, ac levioris armaturæ equitibus commeatu permisso, cataphractis in hyberna deductis, ipse Cremæ Præturam iniret, injunctum. Ira bellum, quod intra Italiæ viscera alebatur, disiectum, ac discussum est; ac Respublica in spem felicioris fortunæ erecta, bellorum se casibus Senatus prudentia, Ducum virtute subductam fuisse lætabatur; cum præsertim singulare omnium populorum in illam studium non obscuris argumentis renituiisset; nam cum ob diuturnos bellorum labores, pecuniæ inopia Respublica premeretur, certatim singula oppida argenti, atque auri vim pro cujusque facultate contulere, quibus gratiæ a Senatu actæ: quæcumque ad illarum fortunas augendas pertinerent, summæ sibi curæ futura semper pollicitus est. Ad hæc autem quod egregiam erga Rempublicam fidem, atque operam Franciscus Maria, Metaurensium Dux, summus militiæ Præfectus, præstitisset, in eoque omnes imperatoriæ virtutes cumulatae viderentur, quas fortunæ vicissitudine jactatus, domesticis sibi, externisque præclaris gestis comparaverat; maximum præterea, non modo apud Senatum, verum etiam apud omnes civitatis ordines favorem & gratiam iniisset, de suprema imperatoris exercitus dignitate illi tribuenda a Patribus actum est; cum præcipue plurima accederent, quæ non parum illi ad amplissimam consequendam dignitatem favere viderentur: ditiones imperio illius subjectæ ad læva Adriatici maris littora sitæ, quæ e regione Dalmatiæ Veneto obtemperanti respondent, haud mediocri usui Reipublicæ futuræ: nam frumenti maxime ferax ea pars Italiæ est, hominesque ad bella aptos gignit, ut commeatus, & milites momento præstare possit; quæ ad urbes, atque oppida Dalmatiæ tuenda magnum adjumentum afferre poterant. His de causis Senatus imperatoria Metaurensi dignitate insignivit; iis conditionibus adjectis, ut trecentos ac vigintiquinque cataphractos, ducentos leviores equites in usus belli aleret: annum illi stipendium octuaginta aureorum millia persolverentur, quorum quinquaginta in cataphractos, tri-